COR DOCILE PARVULORUM

in

Regio Davidis Puero Salomone

PRIMUM VIVENS.

Ego autem sum puer parvulus 3 Reg: ℣. 7. *Dabis ergo servo tuo cor docile* 3. Reg:3. ℣.8.

in

Anonimo Italo, septenni puerulo variarum Lingvarum & Scientiarum peritissimo publicâ de Doctoribus disputatione sub auspicijs Innocentij X. Pontificis Maximi secundissimè triumphante.

SECUNDO REVIVISCENS.

nunc

Ter fortunato omine tertio post decimum INNOCENTIO Triregno Pontificio, ceu tribus digitis Orbem sustentante.

in

Jllustrissima Perillustri Magnifica Juventute Gymnasij IZAYKOWIANI Grodnensis Societatis JESU ante-Vacationali actu ultimâ exspirantis feriâ quintâ Julij die 31.

RECREATUM.

Anno Christi Orbem suâ innocentiâ exhilarantis 1721.

HISTORIA.

Anonimus in Italia septennis parvulus omnium idiomatum reperibilium in Orientali & Occidentali Imperio peritissimus, plausibiliter ex omni Scientia disputavit Conclusiones INNOCENTIO *X. Pontifici Maximo dedicando Anno 1645.* P. Joannes Kwiatkiewicz S. J.

PROLOGUS.

Sapientior erit parvulus. Proverb: 21. ℣. 11.

ACTUS PRIMUS.

Scena I. Laurolaudus ex invidia interturbaturus Anonimum immediatè ante defensionem fingit se ex Scholis ad aulam transiturum, petitq; politicis imbui principijs & docetur audire vocem DEI ac populi, in mediaq; felicitate receptui canere, ne diu faventi molestus sit fortunæ. Opponit Laurolaudus contraria principia in solius Principis fundata favore, factaq; contentione defert Magnentino Academiæ Rectori, suo Tutori, quasi Anonimus spargat pseudopolitiam, magis affectus sit fovendæ tumultuosæ popularitati, quàm favori Principum.

Scena II. Magnentinus Suspicatus parvuli astutiam nonne sic & nunc agit (ab omnibus enim ejus urgetur defensio) è valvis theses recipi jubet, Academici Quirites ad disputandum congregati unico desiderato Procancellario recreantur, ignaro rerum Anonimo.

Scena III. Anonimus à larvato condolentiâ Laurolaudo præcavetur, ut palliandæ confusionis causâ morbum fingat adinterim, donec juridicam audiet denuntiationem: verùm indifferenter expedit Svasorem, subvenienti Gemmiferino Procancellario rem narrans, solatur.

Scena IV. Alteratur à Vaferino cum expressa Rectoris inhibitione veniente & à Laurolaudo exprobrante sibi, cur morbum non finxerit? Sic enim in media felicitate receptui caneret: alias nulla spes, nisi in favore Doctorum Principis Magnentini, qui etiam contra omnium vota Anonimo potest defensionem permittere: non credit puer post tempestatem expectans Favonium.

Scena V. Anonimus fictè à Vaferino salutatus sincerè rogat aditum ád Proceres supplici libello sibi evincendum: satisfacit Vaferinus, sed reddens literas narrat valedictorias Academiæ scribi, contemnitur non lecta schedâ, jubetur exesse ex Urbe, sinsecus, publicè pellendus.

INTERLUDIUM, CHORUS, INTERLUDIUM.

ACTUS SECUNDUS.

Scena I. Ad relationem Vaferini de ablegato Anonimo ex curiositate legitur scheda à Gemmiferino, proditur astus Vaferinianus, jubeturq; exnunc advocari Anonimus.

Scena II. Vaferinus cum Laurolaudo similem vultu & vestitu septennem Falsellum substituunt, benè sibi notum à tenacitate secreti, optimè ad præsentem dolum instructum, is se Anonimum dicit, ac magicâ arte totum didicisse, idq; ex pacto tantùm ad elapsam horam, nunc vero cum nihil sciat, culpam aperit, reconciliari DEO postulat.

Scena III. Falsellus datur sub custodiam, tenet tamen allegoriam, confidens se eliberaturis Vaferino & Laurolaudo, Magnentinus autem exprobrat grávem Senatus errorem, quod urserit ejus defensionem.

Scena IV. Irati Proceres ad tormenta decidunt putatitium Anonimum, ut prodat, quo docente Magistro magiam didicit, vix ducitur, Vaferinum incusat, hic Laurolaudum, tenentur omnes, fraus patet, Senatus

natus coram Rectore expostulatur de amovendo Laurolaudo, quod ejus gratiæ confisus multa peccet cum Vaferino, Laurolaudus asserit à se substitutum Falsellum, ne putaretur eum occidisse, quem non invenerat Anonimum, interim adducendum declarat eliberatò priùs Falsellò.

Scena V. Casu postea repertò Anonimò sincerè refert secum acta, deridetur & ad ulteriorem vexam Anonimus fingit choleram, quasi jam jam se occisurus, mitigatur à Laurolaudo ac Vaferino, ne suo fato eos occidat, quietatusq; procedit in curiam.

INTERLUDIUM, CHORUS, INTERLUDIUM.

ACTUS TERTIUS.

Scena I. Ex tacito Vaferini consilio præcurrit Laurolaudus ad Proceres supplex, ut suæ fraudes de Falsello sub rosa sint, in gratiam Magnentini declaratur totum utpotè cum adhuc nullus è conclavi pedem extulerit, præter Laurolaudum & Vaferinum, qui postulant non diffamari.

Scena II. Salutat Academiam Anonimus ex occasione substituti Falselli perorans. Vaferinus cum Laurolaudo inclamant non nisi dæmoniacâ notitiâ hæc ab illo sciri posse: jurat Anonimus se ab illis informatum, negant hi, nunquam enim se diffamarent, nec ad tenendum secretum Senâtui supplicarent, proinde carceri adjudicatur Anonimus.

Scena III. Suspicatus fraudem Gemmiferinus, svadet Magnentino exnunc subducendum Laurolaudum, ut nullus sciat, quo ierit, nè ab Anonimo, quem prodidit per incantationem tollatur dilectus Magnentino juvenis. Laurolaudus metu confusionis futuræ ex subitaneo abitu partim fidens Gemmiferino fatetur calumniam, stupet Magnentinus; Gemmiferinus urget eliberationem Anonimi, ne aliunde innocentia ejus pateat, mox eliberatur.

Scena IV. Laurolaudus ringitur, & quod se diffamaverit & quod nihil effecerit, cursitat ad Doctores, singulis narrat Anonimum liberatum, sine consilio in præjudicium illorum, omnes Magnentinum conveniunt, urgent disquisitionem juridicam.

Scena V. Magnentinus nesciens hujus tumultûs authorem esse Laurolaudum, ut calumniatorem protegat, excusat calumniatum, totum provenisse testatus ex eo, quod Anonimus dum quæreretur, latitans in angulo loquentes secum de Falsello Laurolaudum & Vaferinum audivit.

INTERLUDIUM, CHORUS, INTERLUDIUM.

ACTUS QVARTUS.

Scena I. Infensus Laurolaudus Anonimo theses, quas erat defensurus ad relegendum offert, ipse verò Magnentino insusurrat prætendi ab Anonimo defensionem, quâ privatus est: additq;, eum jam & theses jactabundè evolvere; mittitur Aurillus explorator, Anonimumq; cum thesibus adducit.

Scena II. Adductus Anonimus rem intelligit, respondetq; non ideo à se lectas theses, ut eas defenderet, sed ideò acceptatas à Laurolaudo, ut præsenti vexationi daretur materies. Displicet responsum Magnentino, repelliturq; Anonimus; clam autem jubetur Vaferinus, ut illum observet capiendum in aliquo.

Scena III. In thesibus itaq; Anonimi legentis advertit Vaferinus typi errorem, svadet eradendum: hoc dum facit Anonimus, alijs Vaferinus digito monstrat præ malitia scindi ab eo theses, quod non defenderit. Cæteri dum vident laceram chartam (circa illam Conclusionem, in qua asserebatur Innocentium X. esse verum Pontificem & legitimum Christi Vicarium, ac Divi Petri Successorem) inclamant læsam Pontificiam Majestatem, incarceratur Anonimus, res defertur Magnentino.

Scena IV. Laurolaudus promoturus dolos Vaferinianos fictâ in eum cholerâ, adit incarceratum Anonimum, solatur fusis lachrimis & alloquijs ingeminans in Vaferinum, mollior animo Anonimus in calamitate, fraudes crudelitatem enumerat Vaferini, nec ipsi parcens Magnentino, totum id redux Tutori defert Laurolaudus & cum designatis tribus testibus à Magnentino, in angulis latitantibus, idem Secundariò secundèq; expiscatur.

Scena V. Ad testimonium trium, pro crimine læsæ Pontificiæ Majestatis Academicæq; damnatur ad infamem flagris stipitem Anonimus, capite plectendus, si maturior & non septennis esset pusio.

INTERLUDIUM, CHORUS, INTERLUDIUM.

ACTUS QVINTUS.

Scena I. Occurrit flebili Pompæ ad locum supplicij eunti Gemmiferinus suspensâq; adinterim executione svadet Magnentino hæc cum Senatûs consilio facere, ne affectu vindictæ pro Laurolaudo dicatur laborare, convocantur inter conclavia sparsi Doctores, causa reassumitur, omnia ab Anonimo refutantur tum rationibus, tum similibus mendosis exemplaribus.

Scena II. Pæna talionis Vaferino & Laurolaudo injungitur, ut publicâ affecti infamiâ e Scholis pellantur, Anonimo vero adjudicatur defensio.

Scena III. Ad instantiam Magnentini, Laurolaudus supplicio liberatur, demotus tamen à sceptrigeri munere turpi fugâ promulgationi decreti se subduxit, voce populi Academici exsibilatus.

Scena IV. Magnentinus defendit & Vaferinum ex eo quod eum insufflaminaverit ad irretiendum Anonimum calumniâ, quam texebat de laceratis thesibus, jamq; favores declarat Anonimo, si modo parcat calumniatori: totum donat, DEI & populi contentus favoribus.

Scena V. Anonimus procedit ad publicam defensionem, saltu præludit juventus Academica, fit disputatio ex omnibus scientijs, hanc secuta solennis promotio.

EPILOGUS.

Ad Majorem DEI, DEIparæ, Divorumq; Gloriam, Honorem ac Venerationem.